

coccus legis bis tinctus apparet, ultra septuagies septies nostra tinctura præcedit : totum pallidum est, quidquid lex typice coloravit; et ad comparationem veritatis totum mareidum est quidquid contextum fuerat in figuris. Nulla hyacinthi comparatio ad carnem Christi, quia, cum *Verbum caro factum sit* (*Joan. 1*), totum cœleste erat, quod nulla peccati infecerat macula; nec quidquam ei de suo princeps hujus mundi alliniverat. Nec byssus nec purpura ejus munditiæ vel gloriæ aliqua ratione aptantur, omnia superat ejus potestas et sanctitas, sanctitudo naturæ, et principatus justitiæ, et amplioris gloriæ sunt quam fila quælibet torquentibus digitis elaborata, vel conchyliorum sanguine delibuta. Imposita est capiti Christo corona pro cidari, et intextæ illi serto erant pro bracteis spinæ; et pro lamina aurea, in qua nomen Dei sculptum erat, lignum cervici supereminens : in quo Pilatus pro Beseleel conscripserat nomen quo nihil in cœlo vel in terra sanctius, nihil potentius, nihil mirabilius, Jesus Nazarenus rex Judæorum. Hæc scripsit gentilis homo, nesciens quia ipse esset Rex etiam gentium. Ideo autem scripsit, utique non intelligens quia ad

A hunc titulum perventurus erat et jungendus aliquando populus gentium. Unxit etiam manus sacerdotis nostri, imo et caput et pedes et latus, sanguis balsamo pretiosior : quem utique puncturæ veprium et clavorum et lanceæ exprimebant, et fundebant extrinsecus; eratque omni oleo liquor ille celebrior, sanctificationem et emundationem nostram non significans, sed consummans. Hæc et aliâ multa, quæ lex velamine posito super faciem Moysi absconderat Christo transfigurato in monte, paucis patuere discipulis, et consummato in cruce, facta sunt evidentia universis. Ruptum quippe est illud velum integumentorum carnalium, et patuit candelabrum, et propositionis panes, et altare incensi, et cherubin et propitiatorium, et sancta sanctorum. Petræ quoque scissæ sunt, et sepulcra reserata, quia hæc consummatio et lapideis cordibus aperit spiritualem intellectum, et ad eos qui mortui erant in peccato vitalem revocat, spiritum ita ut qui desperati erant et malæ consuetudinis iustitias illigati, in civitate Dei nostri (quæ est sancta Ecclesia) deinceps viventes apparent; et qui diu fuerant cineres, fiunt doctores; et qui sepulti, magistri.

ERNALDI ABBATIS

LIBELLUS

DE LAUDIBUS B. MARIE VIRGINIS.

(*Biblioth. vet. Patr. Lugdun.*, t. XXII, p. 1281.)

Si linguis hominum loquar et angelorum, nihil digne, nihil proprie de sanctæ ac perpetuæ Virginis matris Christi Mariæ gloria eloqui poterò, quia verè in laudibus ejus modulandis non invenitur conveniens organum et hebes est cujuscunque subtilitatis ingenium. Cum enim debitæ venerationis summa ad Christum respiciat, ex cujus plenitudine roratum est desuper quod Maria prædicatur gratia plena (*Luc. 1*), manifestum est individua esse matris et filii gloriam, et commune esse utriusque præconium, cuius definitio omnem superat intellectum. Quia et si illud antiquum consilium de incarnato in sancta Virgine Verbo, quod Deus apud Deum erat (*Joan. 1*), palam factum sit mundo, tamen hujus tam insolite actionis modum (quia res miraculi est et ordinem non sequitur naturæ) sensus humanus timet attingere, et hæret ancipiti affectu, quia et stupori est majestas operis, et ingratitude foret præterire silentio laudes auctoris. Res mira et inaudita! Mater virgo, Verbum caro, Deus homo : quis in tam celebri miraculo sileat? item quis hæc prædicare sufficiat? Scimus quidem supra nos esse hoc aggredi;

C sed illa in cujus sacratissimo utero Verbum caro factum est, locuturis de Verbo conciliat verbum. Nec fas est muta esse gaudia Ecclesiæ, ubi, implente nos Verbo, hoc habemus in mente quod mater in utero. Et ipsum quidem Unigenitum Patris ipsa prius mente concepit quam carne. Salutata ab angelo credidit sibi manere virginitatis propositum, et nasci ex se Sanctum sanctorum, quia et hoc acceperat cœlitus intimatum, quod non esset apud Deum impossibile omne verbum (*Luc. 1*). In hujus beatitudinis commercio unita sunt divinis humana, terrenis cœlestia. Securum accessum jam habet homo ad Deum, ubi mediatorem causæ suæ Filium habet ante Patrem, et ante Filium matrem. Christus, nudato latere, Patri ostendit latus et vulnera; D Maria Christo pectus et ubera; nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt et orant omni lingua disertius hæc clementiæ monumenta et charitatis insignia. Dividunt coram Patre inter se mater et filius pietatis officia, et miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium, et conduunt inter se reconciliationis nostræ inviolabile testa-

mentum. Maria Christo se spiritu immolat et pro mundi salute obsecrat, Filius impetrat Pater condonat. Magnum quidem est quod latroni conceditur venia; sed et hoc stupendum quod consummata dispensatione incarnationis, exspiraturus Jesus matrem tanto affectu honorat, victor suppliciorum, et quasi sui immemor, ad matrem de cruce convertitur, et colloquitur, intimans quanti apud eum meriti esset et gratiæ, quam solam in illo puncto respiceret, cum jam capite vulnerato, fossis manibus et pedibus, in ultimis esset. Movebat enim eum matris affectio, et omnino tunc erat una Christi et Mariæ voluntas, unumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo: hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis (71).

Verum altius repetenda sunt operis hujus capitula, et brevi est sermone colligendum quo initio, quo progressu ad hunc beatitudinis cumulum Virgo sancta devenerit, ut cum Christo communem in salute mundi effectum obtineat, et a dextris ejus regnans in cœlestibus, circumamicta varietatibus, in deaurato vestita assistat (*Psal. xli*), inventa est Virgo ab angelo in Nazareth solitaria, seorsum a turbis, vacans procul dubio meditationibus sanctis, credo secum pertractans, quomodo sine offensione legis maneret in proposito castitatis; quia hanc elegerat, hanc devoverat, et integritatem carnis et spiritus apud se Domino consecrarat. Stabat in adverso lex, urgebat ad conjugium Moyses, qui maledictum intentans sterilibus, semen et sobolem a filiis Israel exigebat. Nullum de virginibus a Domino datum erat præceptum, sed nec erat Apostolus qui daret consilium (*I Cor. vii*). Acceperat tamen hoc ipsum a Deo per Spiritum sanctum familiare mandatum, non ex responso angelico, sed ex inspiratione secreta, quæ ei et affectum virginitatis intimaverat, et usque ad necessitatem voti purum desiderium alligaverat. Quis tamen rei exitus futurus esset, nondum erat intimatum divinitus, sed hujusmodi accessionibus gradatim sibi officinam purgatissimam aptabat Spiritus sanctus. Ob hoc eam æstimò elegisse solitudinem segregatam, ut diebus et noctibus in hujus controversiæ angustiis congruis se rationibus muniret, quibus et stare sibi posset optata virginitas, nec tamen quasi in contemptum sui legis indignaretur auctoritas. Hoc enim, ut diximus, id est conjugium, ad propagandum populum Dei, ita lex ab omnibus indifferenter exigebat, ut nec summos sacerdotes pateretur immunes, quia necesse erat filium patri defuncto statim substitui, nec alium quemquam in ordinem pontificalem

(71) Hoc dicit, quia pendenti in cruce Domino assistens Maria, spiritu parata erat, et desiderabat simul immolari et commori filio: pertransibatque ejus animam doloris gladius, juxta Simeonis vaticinium (*Luc. i*), sed ad carnem gladius ille non pervenit, quoniam propter Ecclesiæ utilitatem, bonum erat illam ad tempus in carne permanere. Eandem hanc sententiam clarius et plenius in Tractatu priori De vii verbis Domini exprimit, cum super verbo

A assumi. Ideoque propter successoris necessitatem oportebat eos misceri conjugibus, ut essent parati filii statim, cum pater obiisset, consecratione patrata, ad continuationis incensum accedere, et intra sanctam mane et vespere secundum ritum legis omni die inferre. Itaque erat hujus rei necessitas, ut cum immundis et contaminatis concubitu ex aliarum trium cujuscunque officii personis nullus ad sanctam pateret accessus, solam summi pontificis personam, propter hanc impossibilitatem, lex a ministerio non excluderet: licet et a quibusdam ita accipiantur, ut noctibus propter incensum matutinum uxores non tangerent, et ab illa hora, si hoc egissent, usque ad vesperam permanerent immundi: qua hora purificati, lege non temerata, ex ordine ministrarent.

B His difficultatibus vallata, quia humani consilii ratio non occurrebat, qua et decretum et vetum pariter convenirent, causam suam Maria Domino commendabat, et meditationibus et sanctis orationibus vacans, de cœlo exspectabat consilium, ubi spiritu et mente conversationem sibi parabat, ubi cœlebs animus medullitus inhærebat. Nec defuit consolatio. Gabriel archangelus desursum illabitur, solus solam affatur: *Ave, inquit, Maria, gratia plena, Dominus tecum (Luc. i)*. Raro in Veteri Testamento salutatione angelica quemquam honoratum reperies. Non salatur Abraham cum extollitur titulo fidei, cum credit nil hæsitans, nasciturum de anu sterili filium sibi jam seni (*Gen. xv*); neque cum eundem filium de quo et cui promissiones factæ erant mactare jubetur, nec cunctatur (*Gen. xxii*). Non salatur cum jugulatis quinque regibus, erepto Lot, victor revertit; et licet a Melchisedech ablatis decimis dignus sit benedici, non tamen meretur cœlitus saluari (*Gen. xiv*). Sub arbore Mambre et Deo loquitur, et euntem in ultionem Sodomæ supplicationibus devotis prosequitur; et licet convivio et hospitio dignus inventus sit, et si in illis quinque flagitiosis urbibus decem invenirentur immunes reliquis veniam impetrasset, non tamen ad salutationis familiaritatem pervenit (*Gen. xviii*). Non salatur Moyses, cum de rubo cum Deo alloquitur (*Exod. iii*), neque cum in monte Sina testamenti tabulis honoratur (*Exod. xix*). Annuntiato Christo salutationes incipiunt, et jam proximo Jesu qui est Salvator, mundi salute non longe posita, verbum sanctæ spei, verbum incolumitatis et restitutionis nostræ de cœlis ad terras defertur: jam hoc verbum prius rarum omnino incipit frequentari. Salutat angelus Mariam, nec multo post Elisabeth occurrit; et ipsa salutans

illo: *Mulier, ecce filius tuus (Joan. xix)*, ita ait: *Christus carnem, Maria immolabat animam. Optabat quidem ipsa ad sanguinem animæ et carnis suæ addere sanguinem, et elevatis in cruce manibus celebrare cum filio sacrificium vespertinum, et cum Domino Jesu corporali morte redemptionis nostræ consummare mysterium. Nos quoque in scholiis ejus loci nonnihil super hac re diximus.*

et prophetans (*Luc. 1*). Salutant angeli post resurrectionem sanctas mulieres, salutat ipse Christus discipulos (*Joan. xx*). Denique et hunc salutandi morem salvata per Christum semper gaudia sua commemorans, exultans servat Ecclesia. Inventa est in Christo perpes lætitia, et salutis æternæ medicamina per ipsum sunt nobis in pœnitentiæ balsamis designata. Maria lingua Syriaca *domina* dicitur; Christus Dominus, Maria domina; et licet ipsa se Christi profiteatur ancillam, hoc servitutis genus omni regno sublimius esse intelligit. Constituta quippe est super omnem creaturam: et quicunque Jesu curvat genu, matri quoque pronus supplicat et acclivis. In superbis et inferis admirationi est Virgo puerpera; stupent dæmones, gaudent homines, in cœlo gloriâ Deo concinunt principatus et potestates (*Luc. 11*). Non cadit in angelos zelus, nec invidiæ livore candidatus ille tabescit exercitus, nec de præposito sibi carnis ordine offenduntur, quia etsi Christus aliquando paulominus ab angelis, propter passibilitatem sit imminutus, modo *gloria et honore coronatus* sub pedibus suis continet omnia subjecta. (*Psal. viii. Hebr. 11*). Nec a dominatione vel potentia filii mater potest esse sejuncta. Una est Mariæ et Christi caro, unus spiritus, una charitas, et ex quo dictum est ei: *Dominus tecum*, inseparabiliter perseveravit promissum et donum. Unitas divisionem non recipit, nec secatur in partes, et si ex duobus factum sit unum, illud tamen ultra scindi non potest, et filii gloriâ cum matre non tam communem iudico quam eandem. Ecce tabernaculum Dei, habens intra se Sanctum sanctorum (72), virgam signorum, tabulas testamenti, altare incensi, ambo cherubin respicientia in alterutrum, manna, et sine umbra propitiatorium palam expositum. Hæc non in figuris, sed in ipsa veritate sacrarium Virginis in se continebat reposita,

(72) Cum paulo post dicitur: *Hæc non in figuris, sed in ipsa veritate sacrarium virginis in se continebat reposita, exhibens mundo legem et disciplinam, etc.*, diligenter attende, quomodo singula horum singulis præcedentium aptantur, et singula eorum expriment. Mariam enim tabernaculo comparat, quantum ad præcipua quæ in tabernaculo continebantur, dicens singulorum significata in Maria inveniri. In tabernaculo est Sanctum sanctorum et virga signorum: et in Maria est Christus, qui est Sanctum sanctorum et virga signorum, virga scilicet virtutis paternæ, sicut in psalmo dicitur: *Virgam virtutis sue emittet Dominus ex Sion (Psal. cix)*. Tabernaculum insuper habet in se tabulas testamenti: Maria in se exhibet mundo legem et disciplinam; habet tabernaculum altare thymiamatis, in quo crematur incensum boni odoris; habet Maria zeli ardorem et castitatis odorem. Habet tabernaculum duo cherubin, in alterutrum respicientia: habet Maria in se duo Testamenta, eorumque concordiam. Nam duo cherubin duo Testamenta significant: et ille ad alterutrum respectus duorum Testamentorum concordiam signat. Habet insuper tabernaculum, corporale manna: Habet Maria panem vitæ inconsumptibilem cibum. Habet tabernaculum altare holocausti et holocaustorum ollationes: habet Maria virtutum holocausta, nempe sanctitatem, humilitatem, obedientiam, atque hujusmodi, quæ in altario cordis sui Deo jugiter immo-

A exhibens mundo legem et disciplinam, incensionem zeli, castitatis odorem, concordiam testamentorum, panem vitæ inconsumptibilem cibum, sanctitatem, humilitatem, et obedientiæ holocaustum, pœnitentiæ omnibus tutum naufragis portum. Nulla facta est angelicæ dignitati injuria, si illius excellentiæ cacumen obumbrat Virgo exaltata sicut cedrus in Libano. Cedrus arbor est procera et imputribilis. Virginitas quoque Mariæ, quia nulla concupiscentiæ carnalis viscatur putredine, in hoc procerior et altior virginitate videntur angelica, quod hæc virtutis, illa naturæ; hæc voluntatis, illa necessitatis: et in carne quod non est carnis agere, res incomparabilis meriti est et gloriæ singularis.

B Prosequi prophetarum oracula quæ de Maria scripta sunt, non est nostri propositi; neque enim rem tanti culminis sibi noster arrogat stylus. Quomodo enim illuc divinum puerperium eloquar, quod ab angelis in Bethlehém celebratum est, ubi in angusto tugurio hospitata Virgo, non habens diversorium, infantem Jesum laciniis reposuit fasciatum (*Luc. 11*); ubi virgo, et obstetrix et genitrix, sibi ipsi in illa celebritate exhibuit clientelam. Nihil quippe doloris, nihil clamoris ibi erat, nullam ibi usuram pœnarum pro voluptate ultio repetebat (75). Neque enim erat Christus in peccato conceptus, cujus solius est domare peccatum. Unde ipsi egredienti, nullum exigens tormenti vectigal, ultro natura januas reserabat. Aderant illi cherubin et seraphin, et gratulabundus *Gloria in excelsis Deo* decantabat celestis exercitus (*ibid.*); et usque ad pastorum excubantium aures harmoniæ angelicæ consonantia perstrepebat, reges Arabum et Sabba ab Oriente egressi, secuti stellam insoliti luminis, genibus curvatis et humi purpura defluente, Jesum nostrum pannosum adorantes, donis sacramentalibus venerati sunt (*Matth. 11*) (74). Ab ortu Salvatoris

lat. Denique tabernaculum vetus propitiatorium habuit, sed obumbratum per duo cherubin ipsum operientia, et per velamentum intermedium absconditum. Maria quoque propitiatorium in se continet, sed absque umbra et absque tegmine omnibus expositum. Propitiationem enim et remissionem omnibus pœnitentibus præstat, suscipit universos, et nemini negat pœnitentiæ propitiationem.

D (75) Proprie dicit, *usuram pœnarum*. In iis enim mulieribus quæ communi lege concipiunt et pariunt pro voluptate brevi et medica quæ habetur in concubitu et actu maritali, subsequitur in partu dolor maximus et diuturnus: propter quod recte dicitur *ullionem pro voluptate repetere*, non simpliciter pœnas, sed *pœnarum usuram* quiam subsequentium pœnarum mensura, voluptatum præcedentium quantitatem longe superexcedit.

(74) *Pannosum* dicit Christum, non quasi sordidis sed quasi vilibus et exigui pretii pannis, mundis tamen, involutum. Ut enim propter paupertatem et inopiam non illum potuit paupercula et peregrina mater pannis involvere magni pretii, sic propter eam quam erga filium habebat reverentiam, omnino est verisimile quam mundissimis ab ea pannis fuisse revolutum. Dona vero Magorum vocat sacramentalia, eo quod ad signandum divina mysteria fuerint aptata.

usque ad baptismum anni triginta defluerant (Luc. iii), nec toto hoc tempore sejuncta est mater a filio, semper individua astitit, et divini conscia sacrati, humili affectu venerabatur ut Deum, amplectebatur ut filium. Ventum est ad miracula, et illico Judaica perfidia movit calumnias, et corde felleo doctrinam evangelicam persecuta, ringens in Christum despumabat convicia, dicens eum in Beelzebub ejicere dæmonia (Matth. ix), et non esse a Deo Sabbati contemptorem (Joan. ix). Multa præterit succinctus et ad finem properans stylus. Qui singula prosequar? Nec mortuo Christo quievit invidia, nec saturata est cruentæ plebis malitia, cum pedibus et manibus clavi, cum lancea lateri, fel ori, spinæ capiti, et totum corpus hæreret cruci. Observabant milites crucifixum, irridebant Judæi, nec extorquebant responsum. Fugientibus apostolis, in faciem filii se opposuerat mater et gladio doloris animæ ejus infixio, vulnerabatur spiritu, et concrevatur affectu: et quod in carne Christi agebant clavi et lancea, hoc in ejus mente compassio naturalis et affectionis maternæ angustia. Stabat ante crucem (Joan. xix), non minor quam [forte non miror, quia] matrem Christi decebat. Fortasse autem quia in morte filii intelligebat redemptionem mundi (75), et jam sua ipsa morte se aliquid æstimabat publico muneri addituram. Sed Jesus alieno adjutorio non indigebat, qui dixit: *Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber* (Psal. lxxxvii). Suscepit quidem parentis affectum, non tamen quæsit auxilium: imo ipsam inter reliquos pro quibus sui sanguinis Patri sacrificium offerebat, illo generali beneficio complexus est. Ecce, bone Jesu, coram te est mater tua. Cur modo non dicis: *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?* (Matth. xii.) Modo matrem non abjicis, nec ignoras, sed commendas discipulo, et vicariam imponis sollicitudinem illi quem præcipue diligis, qui supra pectus tuum in Cœna recubuit (Joan. xiii). *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus.* (Joan. xix); et ad discipulum: *Ecce mater tua* (ibid.). Supererat Joseph (76) ad quem usque ad illud tempus præcipua obsequii spectaverat ratio, et cui ad hoc ipsum fuerat desponsata; et modo quasi hoc ministerio censeatur indignus, Joannes assumitur. Hunc intellectum circumstantia sermonis videtur exigere. Verum secretiori ratione virginitas virginitati commendatur, ut hoc testimo-

nio juguletur Bonosus hæreticus et profanus Helvidius, qui ore fetido ausi sunt garrere quod de utero virginali alius præter Christum partus effusus est, et post Salvatorem natum Joseph eam licentia maritali contigerit. Ipse Christus de crucē maternæ virginitatis est arbiter idem et assertor. *Obstructum est os loquentium iniqua* (Ps. lxxii); *suscepit eam Joannes in suam* (Joan. xix), non abnuente Joseph, nec aliquam calumniam referente, suscepit eam in suam, non quasi maritus, sed loco filii, assecla et custos, et testis et conscius. Erant quidem ambo in ministerio Mariæ, Joseph cedente pro tempore et causa, Joanne præposito. Christus quidem in eum expensis contumeliis et tormentis, jam hora propinquante, in matre amplius quam in se pati videbatur; nec dissimulans quod humano pungeretur affectu, circa novissima expressit quantam matri vellet reverentiam a mundo exhiberi, cui in ultimis tam officiosum reliquit dilectionis indicium, in ipso mortis articulo exponens quod matris esset intermerata virginitas, et quod ei gratiæ singularis æterna maneret hæreditas. Suscepit itaque discipulus quod ei commendatum est, et Christus dixit: *Consummatum est* (ibid.). Hoc dixit, et bono pietatis sine mysterium omne complevit. Postulabat ordo ut et de cæteris capitulis quæ Christus in cruce tetigit aliqua (77) scriberemus, sed supra nos esse scimus ad tantæ profunditatis mysteria mittere manum. Quis enim disserere sufficiat, quod se derelictum clamat in cruce, quasi infirmus (Matth. xxvii): et latronem in paradysum præmittit, quasi Deus (Luc. xxiii): quod orat pro eis qui se maledicunt, et crucifigentibus obtinet veniam (Joan. xix): et quod in eodem puncto in quo apud patrem totius mundi causam allegat, quam proprie et singulariter matrem revereatur indicat; quod de siti et non de corpore vulnerato eloquitur: quod tunc demum protestatur omnia consummata (ibid.), et sic in manus Patris spiritu commendato, capite inclinato, emoritur. Magis hæc nostro videntur honoranda silentio, quam indigni sermonis ausu temerario contingenda (78). Verum de Maria, quod cœpimus, ut breviter prosequamur, hoc ex actionibus apostolorum traditum nobis accepimus, quod post passionem Christi cum apostolis usque ad Pentecostem in orationibus et jejuniis unanimiter conversata est (Act. i). Postea vero Joanne in ejus obsequiis perseverante, non diu vo-

(75) Pie istud est accipiendum, non quasi Maria tam parum tribuerit filio, ut putaverit ipsius mortem non sufficere sine sua ad mundi redemptionem perficiendam, nec quasi tanti fecerit, ut existimaverit se posse in tanto opere filio suo quasi ex se insufficienti cooperari: sed hoc tantum est intelligendum, quod desiderabat Maria se quoque in idem opus impendere in quod filius se impendebat. Videns enim filium mori pro peccatis mundi, libenter et ipsa pro mundi salute cum filio fuisset mortua: non quod illum insufficientem judicaret, sed quia filio similis et conformis esse cupiebat.

(76) De hoc admonuimus in scholiis præcedentis operis, in Tractatu verbi illius: *Ecce mater tua,*

ubi eadem ponitur sententia.

(77) Et commentarium post dedit Arnoldus. De verbis Domini in cruce.

(78) Ex hoc loco satis apparet istud Mariæ encomium ante opus præcedens de vii verbis Domini ab auctore fuisse conscriptum, cum hic ad opus illud contremiscat, ut contingere non audeat, quod tamén postmodum arrepta sancta fiducia est aggressus. Unde et hoc colligitur multo ante opus illud fuisse in animo et conceptu auctoris, quam ipsum compleverit, ut solent boni artifices, quoties opus aliquod insigne concipiunt, diu illud in animo gestare, et in mente multo ante fabricare quam ad operationem externam procedant.

catione dilata, migravit ad filium, et angelis occurrentibus et deportantibus illam inclytam animam, assumpta est in cœlum. Utrum in corpore, an sine corpore nullius canonicæ Scripturæ definivit auctoritas, sed quocunque modo sit, eam cum Christo esse dubium non est. Nec fas est homini loqui, quid illud gloriæ sit, quæ beatitudinis plenitudo qua illa perfruitur, quia sicut scriptum est: *Pax illa omnem superat intellectum [sensum]* (Philipp. iv), nec eam oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (I Cor. ii; Isa. lxiv). Hoc certum est, quod ibi est, ubi tam ipsa quam Filius vultui Dei assistunt pro nobis misericordiam postulantes non

Audicium (*Hebr. ix*), et obtinentes omni pœnitenti remissionem peccatorum. Imo datum Filio a Patre omne iudicium (*Joan. v*), et ejus est temperare et dispensare severitatis districtæ decretum, qui non facile eos, quorum advocatus existit condemnat: cumque idem sit advocatus et iudex, nequaquam crudeliter iudicat, qui semper misericorditer interpellat. Merces quippe mortis ejus salus est hominum. Nec illud sibi perire facile patitur, pro quo et sanguinis pretium magnum datum est: et tantum reconciliationis humanæ studium fuit, ut sua dispendia non attenderet, dum erroneum lucraretur.

ERNALDI ABBATIS

MEDITATIONES.

[Opp. S. Cypriani ed. Joannis Felli Oxoniensis episcopi; Oxon. et Paris. 1700, fol.]

(79) Noli timere, filia Sion: ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, et sedens super pullum filium subjugalis. Veni Domine Jesu: veni, desiderate cunctis gentibus, quia dormivit anima mea præ tædio moræ tuæ, et oculi mei languerunt præ inopia luminis tui. Orire, sol amabilis, ut exeat homo ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperam: et operetur non cibum qui perit, sed qui permanet in æternum. Noli timere, filia Sion; timere pusillorum est. Ideo adhuc, filia, quia times; nondum Jerusalem sed filia Sion, hoc est specula; ergo discite speculari. Noli timere, quia timor oculum turbat, hilaris pupilla lucide speculatur; fides est pupilla oculi tui. Quomodo pupilla oculi subtilissima est, et nisi impigre et sollicite custodiatur a palpebris, levissimo tenuissimi pulveris tactu confunditur: sic acies fidei, nisi pervigilem semper habeat custodiam, nihil citius conturbatur. Sed noli timere, filia Sion: ecce rex tuus venit tibi, oritur tibi sol, qui et te custodiat et illuminet, et perducatur te ubi pulvis non est: venit tibi mansuetus; qualis ipse est, talem te esse vult. Mansuesce jugum ejus portare, ut et ipse sedeat super te asinam suam et pullum filium subjugalis. Et quæ est hæc asina? Ipsa quæ caro vocatur, et mulier et virago, quia de viro sumpta est. Et quis est pullus ejus? Masculus vir. Et quomodo pullus ejus est?

(79) *Noli timere, filia.* Opus hoc in vetusto codice Laudensi, qui auctori ipse videtur coævus, reperiunt, reliquis ejus scriptis addendum duximus,

B Quia non prius quod spirituale est, sed quod animale; deinde quod est spirituale. Prius caro domatur, ut sub iugo habilis sit, deinde nascitur pullus et roboratur, ut sessorem suum portare possit. Et quare filius subjugalis? quia sub viro est mulier, et mulieris caput vir: et tamen filius est subjugalis, quia per mulierem vir, sed in dolore pariet. Sedeat super utrumque rex mansuetus faciens pacem, ne hæc sibi invicem adversentur. Sedeat, inquam, ut spiritus imperet carni, et caro obtemperet spiritui: spiritus autem et caro obediant suo Creatori.

C Venit mansuetus, venit tibi; et tu non vadis ei? Egredere de terra carnis tuæ, de cognatione mentis tuæ, et de domo patris tui: de memoria patris tui. Pater tuus Amorrhæus et mater tua Hethæa: hujus patris obliviscere, et tunc concupiscet rex decorem tuum. Decor magnus est, si audis et vides et inclinas aurem tuam. Audis per obedientiam, vides per intelligentiam, inclinas aurem tuam per humilitatem: hic decor, hæc gloria omnis ab intus est in simbris aureis; hunc decorem tuum rex mansuetus concupiscet. Egredere de civitate, quia vidi, inquit, iniquitatem et contradictionem in civitate. Egredere cum pueris Hebræis qui transeunt simpliciter in occursum Domini. Sterne in via ramos olivarum, ut opera misericordiæ pedibus ejus

licet tractatus istiusmodi in vulgatis catalogis nulla mentio habeatur.